



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XII. Piè puerum Virgo respiciens, ut è medijs flammis incolumis
exeat, efficit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

gina, tandiu decreui mecum filium tuū habere, quan-
 diu à me filia mea aberit. Egregia uerò Virginis
 benignitas, & mirabilis mansuetudo. Quasi. n. ipsa
 uerita, ne suo filio sibi carendum esset, si mulieri non
 restitueretur filia, lupo continuò iussit, ut ab illa disce-
 deret; quod statim euenit. Quare ij, qui atrocis ferae
 uestigia persequebantur, puellam se suauib. pomis
 oblectantem inuenere. Ac quidem eius gutturi lupi
 morfiunculae leniter impressae cōpertae sunt; ut tan-
 ti miraculi testimonium apertè uideretur. Perducta
 deniq. ad matrem filia, & ipsa laetissimè ad Virginis
 statuam accurrit, eiusq. gremio puerum reposuit. Fe-
 rè idem miraculum legitur lib. I.

MIRAC. VIRG. XII.

*Piè puerum Virgo respiciens, ut è medijs flammis incolumis
 exeat, efficit.*

Mulier diuino cultui ualde dedita, saepe An-
 gelica salutatione Virginem salutabat.
 Forte ad maritum in opere rustico se exer-
 centem cibum ferre oportebat; neq. uerò quisquam
 offerebatur, cui filiolum, quem habebat, commenda-
 ret. Quare Virginem consueta precatione coepit
 orare, & illi filium commisit, quo domi solo relicto,
 ipsa in agrum properauit ad maritum. Interim uici-
 ni aedeis ignis acriter compresfit, ita ut tota domus,
 in qua erat puer, & ipsa exarserit. Ea re parentib.,
 qui in agro erant, nunciata, ubi redeunt, domum pe-
 nitus combustam uident. Miseri ob tantam iacturam
 trista-

tristabantur; sed grauiori dolore illos filius opprimebat, quem amissum existimabant. Coepit autem mater, dolore diuulsa ita conqueri. Heus, Virgo sanctissima, tibi abiens filium meum commendauit; sub fide, & praesidio tuo tutum illum esse existimabam: qui igitur fieri potuit, ut mihi illum non conseruaris? Vix haec locuta erat, cum filium uiuum, & à flammis ereptum uident.

MIRAC. VIRG. XIII.

Infans, qui Christi infantis statua panem dederat, triduo post ad coelum uita excedens effertur.

Propè Rhenū in oppido celebri, cui Spiraē nomen est, Dei matris cuidam imagini, quae tē D. Bernardum allocuta est, diuinos honores omnes largiuntur. Ibi ipsam pietatis reginam uehementer pro salute sua orabat mulier, cuius puer comedens, paullulum panis, Virginis pueri imagini obtulit, eū illis uerbis salutans, quib. in primo congressu Germani utuntur; deinde miserè flere incepit. Quare paruum eius simulachrum, qui maximus, & optimus cuncta supercilio mouet, lactè puerum illum amplexatum est; dicens, noli flere, puer; post. n. triduum mecum accubens, coelestis panis cibum capies. Illa audiens mulier, ualde metuit, & re seni sacerdoti ibidem narrata, quid illud portenderet, percunctata est. Ille prudenter eam rem expendens, mulierē monuit, ut diligenter, quid filius ageret, obseruaret; ei post triduum filium sublatum iri dicens. Quod uti praedictū fuerat.

Q